

13
DELICIARUM
EPISTOLICARUM
FESTIVALIUM

Exercitatio Decima Tertia

P R Æ S I D E

CHRISTIANO GUEINZIO

Rectore Gymnasij Hallensis

Respondente

MELCHIORE SCHIRMERO

Fribergâ - Myso

In

FESTO ASCENSIONIS
CHRISTI.

CID. DC. XLIV.

HALLIS-SAXONUM

Typis Christophori SalsfeldI.

DEUTSCHER
ERSTE OLGARUM
CHRISTIANUS
MEDICINALE SCHWARZ
LETZTERE VISIONS
CHRISTUS
CIT DE
HABITUS
THEO





EPISTOLÆ

In

FESTO ASCENSIONIS

CHRISTI

ANALYSIS

Actor: I. à v. I. usq. ad II.

THESIS I.



aticinium est Psalmi 98, 1. &c.
Cantate Domino canticum novum:
quia mirabilia fecit. Salutem acqui-
sivit dextera suâ, & brachio sancto
suo. Notum fecit Dominus saluta-
re suum, & in conspectu gentium revelavit ju-
sticiam suam. Recordatus est misericordie sue
& veritatis. Viderunt omnes termini terra sa-
lutare Dei nostri. Ergo jubilate Deo omnes ter-
ra, cantate & exultate & psallite. Ita quondam
regius Vates, & ita orbis etiam Christianus, po-
tissimum in Festo Ascensionis Domini. Annon

A 2

enim

enim mirabilia fecit, dum ascendit in altum & sedet ad dextram Patris? Annon salutem acquisivit sibi, dum duxit captivam captivitatem? Ephes. 4, 8. Dum occupavit dominium universorum? 1. Cor. 15, 24. Annon salutare fecit novum & revelavit in conspectu gentium, dum iussit Apostolos ire in mundum universum? Matth. 28, 19. Annon viderunt omnes termini terra salutare Dei nostri, dum ascendit ad caelos, e conspectu Apostolorum suorum? Jure igitur jubilamus, cantamus, exultamus & psallimus, ob viam Job. 4, 16. Ob ostium ad quod perripit & nos duxit, Mich. 2, 13. Et quia est clausula itinerarij, uti loquitur Bernhardus serm: 4. in Ascensione Domini: De hoc itidem itinerario habetur in Epistola.

2. Dum continetur in eadem brevis summa de vita & doctrina JESU CHRISTI, quam diu in his terris fuit, partim generaliter, ubi fit factorum & dictorum a Luca scriptorum, commemoratio, v. 1. In quo effectum, quod librum confecerit: per quem intelligit Evangelium, quod habetur in ordine tertium, in quo Christi aetatem infantilem & virilem descripsit, veluti ex resolutione ejus patet.

3. Tum & argumentum, conjunctim ratione subjecti; quod scripsisset de omnibus,

non omnia: uti etiam Johannes innuit c. 21, 25.
quod impossibile fuisset, ut intelligatur distribu-
tivè, non collectivè: quia non omnia, sed de omni-
bus, quæ sunt scitu necessaria.

4. Respectu objecti: quod Theophilo in-
scripserit, qui alias etiam dicitur optimus Luc.
1, 3. qui titulus politicorum Act: 23, 26 & 26,
25. Et intelligi potest, quisquis Dei amator est,
inquit Beda: fuitq; procul dubio vir pietate cla-
rus & Lucae charus, apud quem hunc thesaurum
deponere voluit, ut ad posteros propagaretur,
quia voluit universæ Ecclesiæ inservire, ejus sic
saluti anime, ut qui medicus scripsit Lucas,
Colos. 3, 14. consulere.

5. Distinctim, quæ JESUS cœpit tùm face-
re, tùm docere. Fecit enim Jesus, dum in ter-
ris, miracula prius, antequam doceret Job. 2,
11. Matth. 4, 2. ubi jejunavit. Scilicet dedit Chri-
stus per hoc formam Doctoribus Evangelij, quam
docendo & prædicando sequi debeant, ut prius o-
pera virtutum faciant, & pietate vitam exornent,
tunc aliis faciendæ proponant, uti monet Hierony-
mus ad Fabiolam, & Lyra in hoc loco: quamvis
& docere & facere conjungantur Matth. 5, 19.
& 23, 3. Ista ergo sunt discenda ex vita Christi, &
quid fecerit & quid docuerit. In grecis verbis
αὐτὸς ἡγήσατο est Gracismus, pro αὐτὸς ἡγήσατο.

6. Specialiter, tùm de resurrectione: ubi occurrit circumstantiarum notatio v. 2. In quo tempus, quòd usq; in diem eam, quã mandata dedit Apostolis. Ut summatim notare, se nihil neglexisse, quæ & facta & dicta fuerint à Christo.

7. Et modus, tùm respectu Apostolorum: quòd præcepta dederit iis, quos elegerat, per Spiritum Sanctum. Quo respexit inspirationem illam Job. 20, 12. Et intelliguntur mandata, quibus ad munus Apostolicum ritè obeundum instruxit, de expectando Hierosolymis Spiritum Sancto, deq; vulgando in universo orbe Evangelio: Ne quid temerè præter mandata tentarent. Additur verò quod electi per Spiritum Sanctum, ut ostenderetur non humanum esse munus, sed electos cœlestis gratiæ præcones. Ut nulla hîc variâ vel trajectione, vel etiam explicatione opus sit.

8. Tum respectu Christi: dum assumtus est sursum. Quibus terminum denotat scriptorum & miraculorum & dictorum: Siquidem quæ ad salutem pertinent, ea intra hoc tempus à Christo annunciata & revelata, quæ & fideliter sunt consideranda & observanda.

9. Et resurrectionis comprobatio v. 3. In quo factum, quod Apostolis seipsum exhibuerit

hibuerit vivum, postquam passus: Ut ni-
mirum doceret resurrectionem suam, quae aliàs
humanae rationi videtur impossibilis. Ut fidei era-
gò & spei fundamentum haberet, hoc ipsum
prestare voluit: propter quod Deum etiam glo-
rificat Petrus, 1. Petr: 1, 3. Apoc. 1, 17

10. Tum documentum & argumentum, in
genere, multis & indubitatis signis. Nempe
per apparitiones illas varias Luc: 24. Job. 20.
& 21. quando discipulis manus & pedes & la-
tus ostendit, quando cum illis comedit, famili-
ariterq; locutus, quae omnia ἑκμῆρκα dicuntur,
quum afferant controversie finem, uti vox ἑκμῆρκα
apud Aristotelem 1. Reib: usurpatur. In specie
est tempus: quòd per dies quadraginta fa-
ctum, uti & Paulus 1. Cor: 15, 5. prabat. Quòd
tamen ad voluntatem, non necessitatem, Chri-
sti omnium tutissimè refertur.

11. Tum modus per visionem: quia ab il-
lis conspectus est, uti & testatur 1. Job. c. 1, 1.
quemadmodum promisit Job. 15, 10. & 16, 19.
& Patrem ob id ardentissimè rogavit Job. 17, 14.

12. Et per colloquutionem de regno DEI:
quemadmodum & fecit Luc. 24, 36. Marc 16,
15. ut plenius totius salutis negotium, cujus
pracones esse debebant, nossent. Quin caelum po-
titu-

riturus, regnumq; caeleste ingressurus, prius de
illo informatus sit necesse est.

13. Tum specialiter, de Ascensione. Cuius
antecedens est tum consortium & de do-
ctrina informatio v. 4. In quo effectum,
quod congregarit illos. Res enim magnae er-
rant proponende: unde quidam συναλιζόμενος
legunt, a voce ἀλία, quod concilium sive con-
gregationem significat: Uti apud Herodotum
legitur lib: 1. Quidam verò κοιωνεῖν ἀλῶν
καὶ ἰσαπέτης, salis & mensae communionem frui,
exponunt cum Chrysostomo, ut convictus
Christi cum Discipulis significetur, uti & Syrus
interpretatur: Alii verò, uti Epiphanius,
συναλιζόμενος, ita enim commoratus uno in
habitaculo, quemadmodum in quibusdam co-
dicibus habetur. Nam victores dicuntur
συναλιζέειν, post victoriam in praelio obtentam,
dum suos colligunt dispersos milites ex pugna
& hostium persecutione, adeoque in loco praelii
perdurant, ut de victoria constet: atqui ita e-
leganter victori Christo competit.

14. Et mandatum speciale: partim pro-
hibitivum, qui praecepit eis, ne discederent
Hierosolymis: Nempe quia promissio facta,
inibi effusum iri Spiritum Sanctum. Voluit au-

ters

tem id fieri, ut impleretur vaticinium Es: 2, 3^o
de Sion exiit lex, & verbum Domini de Je-
rusalem. Quod & Christus approbat Luc: 24,
46. & seq.

15. Tùm affirmativum, ut expectarent
promissionem Patris, quam audiverunt.
Per quam intelligit Spiritus Sancti visibilem ef-
fusionem, die decimâ post secutam. Tùm quia
in V. T. Esa. 44, 3. Joël 2, 28. Zach: 12, 10.
fuit à Deo Patre promissa: tùm quia ipse Chri-
stus in N. T. à Patre mittendum Spiritum San-
ctum discipulis promiserat, Joh. 14, 19. Ioh. 15,
16. Ioh. 16, 7. Et dicitur promissio à Patre me-
tonymicè, pro promisso à Patre Spiritu Sancto,
sicut Ebr: 12, 13. promissiones pro promissis
sumuntur.

16. Et de Spiritu Sancto pollicitatio v, 3.
In quo respectu fluminis, quod Johannes
baptisaverit aquâ. Quod & ipse Johannes te-
statur Matth. 3, 11. Intelligit autem Baptismû
fluminis, non quasi sit diversus à Baptismo in-
stituito à Christo, sed quòd sit alius à Baptis-
mo fluminis. Error enim est non eundem esse
Baptismum ratione substantiæ & efficaciæ: Dif-
fert tantum ratione temporis, quo institutus est,
& ratione primæ administrationis: Ideoq; hoc
loco distinguit Baptismum, dum de suo loquitur

propriè, de Spiritu Sancto metaphoricè: quem
admodum & Ambrosius lib: 1. de Spiritu
Sancto c. 3. interpretatur.

17. Et respectu Baptismi Flaminis, de quo
modus, quod baptisaturus sit illos ipse Spi-
ritus: id est, dandus visibiliter, secundum do-
na. Dicitur autem Baptismus partim ob copi-
am & abundantiam: uti baptisari est largiter
aquâ perfundi. Siquidem Spiritus Sancti cha-
rismata opulenter effusa sunt super Apostolos,
juxta vaticinium Ioëlis c. 2, 24. Partim, quia
ipse Spiritus Sanctus vocatur aqua salutis &
vivifica Es. 44, 3. Ioh. 1, 38. Apoc: 22, 1.
Administrat autem ipsum Christus vel ordina-
riè & occulto modo in baptismi ministerio, vel
extraordinariè & visibiliter in forma ignis.

18. Et tempus, quod futurum post dies non
multos: siquidem die decimâ secuta est, in Fe-
sto Pentecostes, ubi Spiritus Sanctus effusus visi-
biliter. Ita Deus verax in promissis prestat o-
mnia.

19. Tùm colloquium: ubi discipulorum
de restitutione Israelis interrogatio v. 6.
In quo tum efficiens causa, quod illi ubi
convenissent, percontati sint. Cum enim
Christus antequam cœlum ascenderet, prius de
regno per dies quadraginta locutus fuisset, in-

ter-

interrogarunt, quando hoc ipsum futurum, omnes, quia omnes arbitrabantur, prout sapientius prodiderant, fore regnum mundanum.

20. Et forma: quod dixerint: Domine, num in tempore hoc restituis regnum Israël? Et quamvis ingenti desiderio regni commo- ti, uti Oecumenius observat, optent restitutionem, quando futurum illud regnum glorie? quia enim, de regno locutus non tantum gratie, sed & glorie, optant restitutionem seu instauratio- nem glorie potissimum! Hoc enim, verbum ἀποκατάστασις innuit, uti & dies iudicii vocatur 1. Pet. 3, 21. tamen immiscet de solo Israël exclusis gentibus salvando, ut ita precon- cepta opinio non facile tollatur.

21. Et informatio: in qua habetur nega- tio v. 7. In quo in genere, quod dixit non esse discipulorum nosse tempora & momen- ta. Quia enim duo in questione fuerant discipulorum, quorum prius de regni glorie instau- ratione, & posteriore de Israël saluatione, re- spondet etiam ad illud, ne sint solliciti, & ne inquirent tempus, id est rerum cognitionem, hoc enim significat χρόνος, quam diu scilicet mundus stare? quam diu Imperium Romanorum durare debeat? Neque inquirent καὶ πότε hoc

hoc est, momenta & occasiones rerum, & quâ
hora sit deleturus Sataana imperium? & quo mo-
mento sit suos in regnum Patris introducturus?
Est enim καὶρός tempus unicuiq; rei aptum &
commodum Eccl: 10, 2. Dan 12, 21. Quem-
admodum, ista dua voces conjunguntur 1.
Thess 5, 1.
22. In specie, ratione subjecti: quòd Pa-
ter in sua ipsius constituit potestate: Quia
Pater nimirum, ut semper parati simus, voluit
latere, secundum Augustinum, ubi inquit:
Latet una, ut timeatur omnis dies: Non ve-
rò exclusivè ista sunt intelligenda, ac si Filius
ignorasset, quemadmodum etiam Marcus c. 13,
32. habet: sed inclusivè. Et dictum est non
tam ratione persone, quàm ratione officii, quia
non missus erat ut revelaret, licet signa mani-
festaret. Uti enim mundi principium non fuit
notum creaturis, ita neq; finis. Interim per no-
titiã generalem, & conjecturalem colligi po-
test verisimiliter, non procul abesse. Nemi-
ni ergò patet ultimum iudicium: & errant qui
tempora deserviunt. Desiderio quidem ejus sum-
mo teneri debemus Rom: 8, 19. Apoc. 22, 17.
Et nos preparare ad idem vera pœnitentiã &
vitæ sanctimoniã 2. Peir, 3, 11. Thess: 5, 6.

Interim autem curiosa articulorum temporis in-
quisitione abstinere & in verbis Christi & Pau-
li acquiescere.

23. Et affirmatio, quæ est Apostolorum
testificatio, v. 8. ubi causa: quòd sint acce-
pturi virtutem Spiritus Sancti, ut ita infor-
marentur etiam de altera questione, an solus
Israël salvari debeat? Loquitur itaq; de vir-
tute Spiritus Sancti Apostolos superventurâ,
quemadmodum etiam factum est in Festo Pen-
tecostes, ut spirituale regnum ostenderetur, non
armis, sed virtute cœlesti atq; Spiritus Sancti do-
nis propagandum.

24. Et effectus respectu modi, quòd futuri
sint testes: simulq; munus Evangelii designatur
ut Job. 18, 27. notatur, quod nihil aliud
quam de Christo testimonium. Atq; ita ad officio
cium absq; vana sollicitudine de tempore & ho-
râ revocantur fideliter.

25. Respectu termini, quod ab Hieroso-
lymis usq; ad fines terræ, quo regni sui non
solum Hierosolymas, sed terras omnes, fines
constituit, & proinde non ad solos Judæos, sed
& ad gentes pertinere docet, discrimine V.
& N. T. sublato Eph. 2, 13. Coloss. 3, 11.
Galat. 3, 28. Secundum vaticinium Es: 46, 7.
quod repetunt & Apostoli Act. 13, 47. non tan-
dum

tūm in Jerusalem, uti opinabantur, sed & in
Samarita & usq; ad extremum terræ, testes esse
debeant: Quemadmodum & ablegavit in uni-
versum orbem Marc: 16, 15. Matth: 28, 19. Et ita
propagatum est Evangelium, ut ab Hierosoly-
mis, velut à fonte dimanaret ad omnes Judææ
partes: Deinde ad Samaritanos, tanquam se-
mijudeos & semipaganos: mox in Syriam: hinc
in totam Asiam minorem, & hinc in Græciam:
postremò in Italiam: deniq; in omnem mundi
plagam, ut non fuerit locus sub cælo, ubi non
annunciatum Evangelium Coloss. 1, 23.

26. Consequens, quoad Ascensionis a-
ctum, Christi in cælos sublatio v. 9. In quo
circumstantia temporis: Tūm postquam hæc
locutus: ut denotetur certitudo, quando facta
fuerit. Quemadmodum & Marcus idem descri-
bit c. 16, 19.

27. Tūm spectatoris, quòd videntibus illis:
ut qui testes esse debuerant, quo certò testifica-
ri possent, factam esse ascensionem.

28. Et forma, conjunctim, quòd in altum
sublatus sit, ut sensim longiore intervallo ab
iis sejungeretur. Hoc enim est ascendere, non
evanescere, secundum vaticinium, Ps. 47,
6. Ps. 68, 9. Atq; ita cælos penetravit Ebr: 4.
& super omnes ascendit Eph. 4, 10. Non ut

pro-

propterea à terris excludatur, sed adhuc dum
potenter in medio inimicorum dominatur Ps:
110, 2. Gratiòse in Ecclesia versatur Matth.
28, ult.: & mysticè in cœna manducatur & po-
tatur Matth. 26, 22.

29. Distinctim, ratione organi, quòd nu-
bes susceperit, ut impleretur illud Dan: 7, 13.
& typus prestaretur, dum per nubem olim po-
pulum Israëliticum duxit & reduxit Exod. 13,
21. qui typus & ad Ecclesiam accommodatur
Es: 4, 5, 6. In qua & venturus est ad iudicium
Matth. 24, 30. & 26, 64. Marc. 13, 26. &
14, 62. Luc. 21, 27. Apoc: 1, 7. quòd & nu-
bes in transfiguratione adumbravit Matth. 17, 5.

30. Et ratione termini: quòd ab oculis sic
remotus. Ascendente enim ex monte oliveti,
ut constat Marc. 16, 12. & 19. Visus est pro-
ximè, sed postmodum paulatim propter distan-
tiam ab oculis subtractus, dum sese subduxit,
ut Syrus habet. Non quòd non à Paulo fa-
ctus, sicut Piscator arbitratur super Luc. 24,
31. Sed quòd tantùm remotus. Verum & Vir-
gil. 4. Aenei: illud evanescere de Mercurio us-
surpat, ut idem sit quòd disparuit.

31. Et quoad adjunctum: Estq; Angelorũ
tum apparitio v. 10. In quo tempus, quòd

61113

cum defixis oculis essent in caelum eunte eodem:
mirabantur enim Christum ita ascendere,
& sequebantur oculis, quem corpore sequi non
poterant, euntem in caelum, non disparentem
plane.

32. Et modus: quod desubito adstiterint
viri duo in vestitu albo. Derepente enim fa-
ctum esse innuit particula attentionis, Ecce!
Hiq; duo viri ex myriadibus sanctis apparentes
Angeli, ut & in resurrectione Christi apparu-
erunt vestitu albo Luc. 24, 4. Et viri dicun-
tur ab externa illa forma, quia alias videri
non potuissent. In albo autem vestitu, propter
letitiam & gloriam, propter sanctitatem & ju-
stitiam.

33. Tum Angelorum concio v. 11. In quo
ad ipsos, respectu discipulorum, dixerunt,
dum nominanteos viros Galileos, qui in Gali-
lea & ex Galilea congregati erant, tanquam
testes ipsius Jesu Christi: Interrogantq; quid
stent intuentes in caelum? cum frustra sic co-
natus, & caelum tantum videant, non ampli-
us Christum: reprehenduntq; quod tantoperè
visibili formâ sese privari agrè ferant.

34. Respectu Christi: De quo, quod ille
qui assumptus in caelum visibiliter etiam sic
venturus sit in nubibus caeli, in gloria magna.

Uc

Ut ita sermo Angelorum sit directus ad questionem discipulorum. Non ergo negatur Christum adesse, sed confirmatur, dum uiri visibiliter secundum humanam naturam ascendit ad caelos, ita & visibiliter rediturus ad iudicium docetur. Neque enim Christi ascensio est opposita Christi praesentia.

NOTÆ.

- I. Quibus etiam se praebuit) Considera Christum noluisse statim ascendere, nisi multis argumentis resurrectionem suam probasset, ut discas subvenire imbecillis & infirmis.
- II. Non est vestrum nosse) Considera Christum nolle quò sciantur omnia, ut discat humana curiositas de futuris non certò jaectare, & praecipue de extremo filere iudicio, quia DEUS hunc tacuit diem, ut observarentur omnes.
- III. Viri adstiterunt) Considera quomodo DEUS per Angelos confirmet suos, quò discas sperare & in Deum firmiter credere.

QUÆSTIO PHILOLOGICA EX EVANGELIO.

I.

Quod sibi velit illud, postremò recumbentibus?

In græco habetur vox ὕσερον quæ redditur postre-

B

stre-

stremò. Unde quidam de ultima apparitione
intelligunt, quæ ipso Ascensionis Dominice die
facta. Alii verò accipiunt de novissima appari-
tione à Marco descripta. Verior videtur, quod
sit eadem cum illa, quæ Matth. 28, 26. habe-
tur. Id quod partim convenientia materia,
partim coherentia textûs probat: ita nimi-
rum, ut abeuntibus undecim discipulis in Gali-
leam, ubi eos instituerat Jesus & recumbentis
bus istis Christus sese vivum exhibuerat. Vide-
atur Jansenius in conc: Evang: cap: 164.
Augustinus lib. 3. c: 25. de consens: Evangel:
Chrysologus.

II.

Quid statuendum de miraculis promissis
ipsis Apostolis?

Gregorius Magnus, Serm: 29. in Ev:
inquit: miracula in exordio Ecclesie necessaria
fuerunt; & ut ad fidem cresceret multitudo cre-
dentium, miraculis fuerat nutrienda: quia &
nos cum arbusta plantamus, tamdiu eis aquam
infundimus, quousq; ea in terrâ jam coaluisse
videamus, & si semel radices fixerint irrigatio
cessabit. Quare verò hoc tempore non fiant, do-
cet Augustinus l. 22. de civitate DEI cap. 8.
ne scilicet vilescerent, & ne animus semper vi-
s-

sibilia quæreretur, & eorum consuetudine frige-
sceret genus humanum, quorum novitate flagra-
vit.

AD RESPONDENTEM.

Ascendit Christus nos ut defenderet usq;
Umbo velut, dextram dum quoq; Pa-
tris habet.

Ac ad iudicium venturus id ipse probabit

Quod non in terris sint loca *tuta* satis.

Adscensum Christi Lucas descripsit, eundem
SCHIRMERUS repetens publicat hisce ty-
pis.

Pergat SCHIRMERUS cum Christo scandere
caelos!

In caelis & erit TUTIOR UMBO Deus.

itate statur

Gueinzius.

TROCHÆUM

Sarcinâ cœli levatâ territisq;, masculè
Tristibus monstris, vetustas fabulosa prodidit
Pectus Alcidae supernis esse Divûm sedibus
Collocatum concavas per siderum patentium
Orbium cœlestium Sphæras polis faventibus.

Derogas SCHIRMFRE nugis his manibus fidè
Herculè sacrûq; præfers, qui Draconis inferi
Viribus, mortusq;, rursus per catastam transiens

Victor aeternas ad arces se receperat Patris,
Vestibus stipatus inducis nitentibus viris.
Inde majus Te manet SCHIRMERE laudis
premiū

Quam profana facta Scriptis qui celebrant
Herculis.

David Lindnerus Rochlitiensis.

Vendicat ecce Sibi Tutoris nobile nomen
CHRISTUS, dū populū vindicat ipse suum
Mortis ab imperio per moriē, dumq; triūphans
Victor, mirificè scandit ad astra redux:
Et sibi Tutoris SCHIRMERVS nobile nomen
Aptat, ubi explanans mystica Sacra DEI,
Insimul & pugnans contra flagrantia tela
Felix, jam Victor leta trophæa locat.
Nunc quid ego faciam? Tutorem voce celebros
Istum, huic at multum grator, uterq; placet.

Gottfried Matthæus Odera-Misnicus.

Εἰσδύνῃ χρισὸς τὰ κάτω μετὰ ἔρανόν Τίος
Τῆ Θεῶ, ἠδὲ κάτω μετὰ ἔρανόν αὐθις ἐνείει,
Κά τε θριαμβεύει βελτίστοις ζῦν πολυόλβοις.
Οὐν νόον ὀξύπορον τὸν πρὸς τὰ ἐπαίρειε ἄστρα,
Ἐίπειε ἠδὲ χάριν, διὰ δῶρά τε χάριεθε θεῖα.
ΣΧΙΡΜΗΡΟΣ Φίλος μέο ὡσπερ δείκνυσι
ὀρθῶς.

Heinricus Andreas Wengering

Instandsetzungsschein

ersten und letzten Lagen des Buchblocks
den in siedenden Bädern gereinigt und ge-
tigt. Mürbe und zerissene Teile des Papiers
den ausgebessert.

Bucheinband wurde originalgetreu wieder
gestellt.

ULB Halle

006 386 679




3

Th. 4968

Gabriele Grauer

Halle, den 8.10.1970





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

13
...CIARUM
LICARUM
VALIUM
Decima Tertia
ÆSIDE
NO GUEINZIO
mnasij Hallensis
ondente
E SCHIRMERO
rgâ - Myso
In
ASCENSIONIS
RISTI.
DC. XLIV.
- SAXONUM
ophori Salfeldi.